

Lib. Mo-
nast. Lan-
thony 29.
Edw. 3.

Tertius circa annum Salutis MCCCXXVIII, Rogerum de *Mortuo-mari* Dominum de *Wigmore* hujus limitis Wallici, vel (ut vulgo loquuntur) *Marchie* Comitem creavit, qui statim morte multatus, sententia in eum lata, quod in Rempublicam insultaverat, Scotis in Anglici regni fraudem faverat, a quo Regis matrem familiariter egerat, & Edwardo Secundo Regis patri exitium comparaverat. Huic natus erat è Ioanna de *Ienevill*, quæ opimos redditus attulit cum in Hibernia tum Anglia, Edmundus, qui paterni sceleris poenas luit, & patrimonio & Comitis titulo exutus. Rogerus tamen ejus filius in integrum restitutus, titulum Comitis *Marchie* recepit, & ordinis *Garterii* in prima institutione socius electus. Hic ex Philippa de *Monte-acuto* Edmundum *Marchie* Comitem progenuit, ille vero Philippam Leonelli Ducis *Clarentie* Regis Edwardi Tertii filii tertio-geniti unicum filiam in uxorem duxit, unde *Ultonie* in Hibernia Comitatus, & *Dominium de Clare* accessit. Huic in Hibernia, cui magna

cum laude præfuit, defuncto successit filius Rogerus *Marchie* & *Ultonie* Comes, quem Rex Richardus Secundus Regni successorem designavit, utique materno jure hæredem proximum. Verum ille Rege Richardo superstite, morte sublatus, Edmundum & Annam liberos reliquit. Edmundus, cujus potentia, & regii sanguinis claritas suspectior erat Henrico Quarto, qui regnum occuparat, ab eo periculis objectus, captusque ab Oweno *Glendour* rebelle, animi ægritudine confectus expiravit, Anna sorore hærede relicta. Annam vero matrimonio Richardus *Plantagenet* *Cantabrigie* Comes sibi junxit; cujus jure ejus posterum *Marchie* fuere Comites, regnumque vendicarunt, quod tandem etiam consecuti sunt (ut alibi dicimus) Edwardusque Quartus filium suum primogenitum Wallie Principem, & *Cornwallie* Ducem, &c. etiam Comitem *Marchie* in honoris accessionem creavit. Radnorie autem titulum nullus, quod sciam, seorsim gessit.

Vide in
agro Ebo-
racensi sub
finem.

Parœcia in hac sunt 52.

